



**Judicium Philippi Melanthonis de controversia coenae  
Domini. : scriptum ad principem quendam electorem. Cum  
necessarijs annotationibus, ijsdemq[ue] veris & pijs.**


<https://hdl.handle.net/1874/423838>

*g* 5  
IUDICIVM  
**PHILIPPI ME-**  
LANTHONIS DE CONTROVERSI<sup>A</sup>  
COENAE DOMINI.



SCRIPTVM AD PRINCIPEM  
quendam Electorem.

Cum necessarijs annotationibus, ijsdemq; veris  
& pijs.




A N N O, 1560.

ИУДА  
СВЯТОГО  
АПОСТОЛА ПАВЛА  
БОГОСЛОВА

МЕДНЫЕ ОБРАЗЦЫ

САНКТ-ПЕТЕРБУРГ  
2003



# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO &c. DOMI- NO CLEMENTISSIMO.

S. D.

LLustriss. & clementiss. Princeps: Certissimum est legitima Imperia opus DEi esse clementer conseruantis honestam societatem generis humani. Ideo verum Deum, æternū Patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, colligentem æternam Ecclesiam voce Euangeli, toto pectore oro, ut Cel. vestræ confirmet vires animæ & corporis, & tribuat salutaria consilia, & felicem gubernationem. Gaudeo etiam Principem & Dominum patriæ meæ vocatum esse ad agnitionem filij Dei, & recte inuocare Deum, & fouere Ecclesiam Christi: Quem oro, ut vniuersam familiam Principum. N. gubernet & protegat, nec sinat fieri barbaricam vastitatem in patria mea.

Literas Cel. vestræ reuerenter legi, & virum integrum Stephanum audiui: Ac mitto Cel. vestræ scriptam responsionem, ac maximè opto, vt teneræ Ecclesiæ vbiq; tranquillæ sint: Quam ad rem proderit, si non sinent gubernatores defendi contrarias (A) sententias. Probo igitur consilium Cel. Vest. q; vtriq; parti silentium mandarit. Opto autem vt sapientum Principum consilio & authoritate, aliquando & ex

aliorū(B) gentium Ecclesijs & nostri s, pij & eruditī viri  
conuocentur, vt de omnib. controuersijs deliberetur, &  
vna consentiens(C) forma doctrinæ vera & perspicua,  
sine omni ambiguitate posteritati tradatur. Interea  
quantum fieri potest, moderatis(D) cōsilijs coniunctio-  
nem nostrarum Ecclesiarum foueamus. Bene &  
fœliciter valeat Cel. V. Cal. Nouemb.

Anno 1559.

Celsitudinis vestrae

Seruus

Philippus Melanthon.

Scholia

## S C H O L I A.

(A) CONTRARIAS sententias.) Pium confi-  
lum: Ut tranquillæ sint Eccl esiae, vigeat error: Taceat,  
aut profigetur etiam Christus.

(B) ALIARVM gentium Ecclesijs.) In qui-  
bus scit multos esse Cingianos.

(C) CONSENTIENS forma.) Hoc agitur  
scz., ut noua conscribatur forma conueniens omnibus,  
concinnans & inuoluens errores: Vetus forma, Con-  
fessio Augustana & articuli Schmalcaldici vel abolean-  
tur, vel corrigantur, vel nouam accipient interpretatio-  
nem. Ecquid placet noster Philippus?

(D) MODERATIS consilijs.) Secundum  
hominem, non secundum Christum.

## RESPONSIО.

NON difficile, sed periculosum (E) est respondere.  
Dicam tamen quæ nunc de controuersia illius loci  
(F) monere possum, & oro filium Dei, vt & consilia, &  
euentus (G) gubernet. Non dubium est de controuer-  
sia Coenæ, ingentia certamina & bella (H) in toto orbe  
terrarum securita esse, quia mundus dat poenas idola-  
træ, & aliorum peccatorum. Ideo petamus, vt filius  
Dei nos doceat & gubernet.

## S C H O L I A.

- (E) PERICVLOSVM) Ne totum se prodat  
esse Caluinianum.
- (F) ILLIVSLOCI) De rei controuersia mul-  
ta adhuc premit.
- (G) CONSILIA ET EVENTVS) Consilium  
quod sit, paulo pōst sequitur. Euentus est ha&tenus,  
q; Lutherani ministri sunt remoti, successerunt Calui-  
niani. Quis gubernarit, piorum esto iudicium.
- (H) BELLA.) Nostri non cogunt armis, nisi  
Cingiani tale quid meditentur.

## T E X T U S.

**C**VM autem voi⁹; multi sint infirmi & nondum in-  
stituti, in doctrina Ecclesiae, imò confirmati in erro-  
rib. (I)necesse est initio habere rationem infirmorū.  
Probo igitur consilium illustriss. Electoris, q; rixantib.  
vtrinq; (K)mandauit silentium, ne distractio fiat in tene-  
ra Ecclesia, & infirmi turbentur in illo loco & vicinia:  
Et optarim rixatores in vtrāq; parte abesse. (L)

## S C H O L I A.

(I) IN ERRORIBVS) Sic vocat etiam doctrī-  
nam Aug. Cōf. de Cœna: quā, quos mox perstringit pīos  
Doctores, ipsi doctrinā tueruntur, aduersus Cingianos.

(K) RIXANTIB. Vtrinq; mandaui.) Nouum  
genus sapientiæ in Ecclesia Christi, vtrisq; mādere silen-  
tium: Noui conatus, simul abigere eōstantes Doctores,  
defensores veritatis, & magistratu compescere: Et erunt  
sic omnia noua, mox etiam Augustana Confessio noua.

Cæterum Ieremias & ipse audiebat : Vir rixarum & discordiarum, arguendo idolatriam & peccata populi. Nec patiebatur vero silentium sibi imponi, quod idem erat Apostoli fecerunt.

(L) ABESSE) Agnosce, Heshus, tuum persecutorem.

### TEXTVS.

**S**ecundo remotis contentiosis, prodest reliquos de una  
**(M)** forma verborum conuenire. Et in hac contro-  
uersia optimum esset retinere verba (**N**) Pauli: Panis,  
quem frangimus, κοινωνία ἐστὶ τὸ σῶμα τοῦ: Et copiose de  
fructu Coenæ dicendum est, ut inuitentur homines ad  
amorem huius pignoris, & crebrum usum: Et vocabu-  
lum κοινωνία declarandum est. Non dicit (**O**) mutari na-  
turam panis, ut Papistæ dicunt: Non dicit ut (**P**) Bre-  
menses: Panem esse substantiale corpus Christi: Non  
dicit ut Heshusius, Panem esse verum corpus Christi: sed  
esse κοινωνίαν, id est, hoc quo fit consociatio cum corpore  
(**Q**) Christi, quæ fit in usu, & (**R**) quidem non sine cogi-  
tatione, ut cum Mures panem rodunt,

### SCHOLIA.

**(M)** FORMA VERBORVM Nouum & hoc  
genus concordiae, de formaverborū conuenire, ut omni-  
bus de re nondum conueniat, donec & hoc perficiatur, &  
obtineat error.

Aut veteris illius Arianae similem concordiam esse  
volunt, qua inita simili forma verborum, Ariana pars  
pulchre imponebat parti Orthodoxæ: Et erant nouissi-  
ma peiora prioribus.

(N) VERBA PAVLI.) Cur non etiam  
Christi? Quia fucum abstergunt , dolum minus ad-  
mittunt,sophisna detegunt.

(O) NON DICIT MVTARI naturam panis.)  
Nec verborum naturam dicit mutari,& corpus mentiri,  
quod nimis violenta interpretatione, vos dicitis.

(P) NON DICIT ut Bremenses,) Cur his  
non accenset Lutherum ? etiam Confessionem Augu-  
stanam,Apologiam,Schmalchaldicos Articulos ? Atta-  
men nec Bremenses,nec Heshusius,nec Augustana Cō-  
fessio, Apologia , nec Schmalchaldici articuli, sed Chri-  
stus de pane dicit : HOC EST CORPVSM MEVM,  
non fantasticum, non figuratum, sed substancialē , verū,  
quod pro nobis traditum est. Nouum & hoc genus im-  
pudentiæ est, Christi verba , cum eiusdem hac interpre-  
tatione repudiare,subsfannare,ex Ecclesia ejcere. Incre-  
pet in te Dominus Satan.

Lutherus vltima confessione sua dicit : Panem esse  
corpus Christi , naturale , verum : Et Schmalchaldici  
articuli, quib. ipse subscripsit Philippus , dicunt esse ve-  
rum corpus Christi. Augustana Confessio, Apologia,  
quas & aliorum nomine ipse scripsit, dicunt de præsentia  
corporali, vera, substanciali , veri & viui corporis Chri-  
sti: Cur non & hos nominatim recenset , quos vere per-  
stringit, & reiicit omnes ? Quia non expedit causæ, quam  
tuetur.

Nec videt hominis vigilantia , se Paulum , quem  
arripit, Christo interea etiam contrarium facere, non in-  
ter-

terpretando per Paulum Christi verba, dum abijcit, sed  
verbis Christi verba Pauli re vera opponendo.

(Q) CVM CORPORE CHRISTI) Ergo  
corpus Christi etiam adest, secundum verba Christi:  
Hoc est corpus meum. Cui nunc magis habēda est fides,  
Christo ne, an Philippo? fingenti sua interpretatione,  
abesse corpus: Quam falso affingit A postolo interpreta-  
tionem, nusq; hoc dicenti, aut alioqui neganti veram ve-  
ri corporis præsentiam, quin astruenti, siue verba spe-  
ctes, siue consequentiam: Verba dico, quib. repetit ipsa  
Christi verba, dicentis de pane: Hoc est corpus meum:  
Consequentiam dico, qua ratiocinamur ex ipso hoc di-  
cto: Panis quem frangimus, est communicatio corporis  
Christi.

Ergo corpus Christi adest cum pane.

Et ex altero dicto: Qui panem hunc manducat  
indigne, reus fit corporis Christi.

Ergo cum pane manducat corpus Christi, siue di-  
gne, siue indigne.

Quæ vero consequentia fuerit, secundum Philip-  
pum & Caluinum? Panis quem frangimus, est com-  
municatio corporis Christi. Qui manducat panem  
hunc indigne, reus fit corporis Christi. Ergo corpus  
Christi non adest cum pane.

Concludo igitur, si nec verba, nec consequentiae  
verborū loquentium de Coena aliud cogunt, necesse esse  
ipsa verba institutionis Christi propriè accipi, nec homi-

B. nis,

nis nec angeli vel authoritate, vel aliunde accersitis rationib., licere in aliud transformari, diuersum præsertim & contrarium: vt quod Christus dicit: Panem esse corpus suum, ipsi contrâ dicant, nequaq; esse eius corpus

(R) IN VSV) Quem h̄ic pungit Philippus?  
Solos ne Papistas, & paucos quosdam alios, & non uniuersas nostras ecclesiias? Quib, sciens facit iniuriam.

## T E X T U S.

**A** Cerrime pugnant Papistæ, & eorum (S) similes, ut dicatur corpus Christi extra lumptionem inclusum esse specieb. panis, aut pani: Et postulant adorationem, sicut Morlinus (T) Brunsuigæ dixit. **Du must nicht sagen Num Num/ Sondern du must sagen was dieses ist/ das der Priester ihm der Hand hat.** Sarcerius iubet delapsas particulas colligi, & erasa terra comburi. Cum VVormatiæ esse mus ante biennium, quæstio ad nos mittebatur ex aula quadam: An corpus Christi descendat in ventre. (V) Talib. prodigiosis quæstionib. reiectis, utilius est retineri formam verborum (X) et de fructu recte doceri homines.

## S C H O L I A.

(S) EORVM SIMILES) Similiter & h̄ic sciens facit iniuriam nostris, de inclusione, & est verus Syco-phanta.

(T) MORLINVS) En tibi Morline: En Sarceri, idolatræ. Neuter vero Sacramentum extra usum constituit,

constituit, aut corpus Christi pani veluti carceri inclusum. Merlinus tantum Metonymiam & tergiuersationem Cinglianorum Tropistarum taxat. Sarcerius spebat irreligiosam tractationem: Vbi hic tuus iterum candor Philippe?

(V) IN VENTREM Quid nobis cum ineptis aliquorum, si non sit iniuria quoque ei de quo narratur? Viderint autem Cingiani, quas non dico questiones, sed egestiones, & nefandas blasphemias, ceu venenatae araneae ex verbis oris Christi fuxerint ipsis, & vomuerint in authorem verborum, Christum.

(X) FORMAM VERBORVM PAVLI Christus forma suorum verborum author prodigiosarum questionum. Ecce huius blasphemiae exemplum ex ipso Philippo.

### TEXTVS.

P Otest inspici forma (Y) verborum Coenae in examine  
(Z) Megalburgensi, ubi et commonefactio est de fructu Coenae. Adebat filius Dei in ministerio Euangelij,  
& ibi certe est efficax in credentibus. Ac adebat non propter  
(A) panem, sed propter hominem, sicut inquit: Manete  
in me, & ego in vobis. Item, Ego sum in patre meo, &  
vos in me, & ego in vobis. Et in his veris consolationibus  
facit nos sibi membra, (A) & testatur se corpora nostra  
viuificaturum esse. Sic declarant Veteres (C) Coenam  
Domini.

### SCHOLIA.

B 2

Forma

(Y) FORMA VERBORVM) Vult Ecclesiam Christi abducere à forma verborū Christi, ad suam formam: Quæ ista audacia, & Diabolica superbia?

(Z) IN EXAMINE) Latent ipso monitore, Christiane lector, in eius quibusdam scriptis, discrepancia à communi consensu doctrinæ Augustanæ Confessionis, in nostris Ecclesijs. Quam discrepantiam ut h̄c de Cœna, ita alibi de alijs, in posteriorib. præsertim scriptis paulatim ipse prodidit. Vide ergo lector, quid legas, & accipias, & vide fidem.

(A) PROPTER PANEM) *Wie giffig und hönisch.* Adest non propter panem, sed cum pane propter hominem: Et vero suo corpore adest, aut prorsus nō adest. *Wie gefelt euch das?* De quo Lutherus, & nos, si cogitis, alibi.

(B) FACIT NOS Sibi membra) Spiritualiter, non etiam corporaliter, ut sint omnia tantum spiritualia: Mirum q; non ipsi etiam Christo spirituale corpus attribuunt, hoc est, nō naturale, verum, et nobis corpora spiritualia, non etiam naturalia in resurrectione mortuorū, ad quam corpora nostra, carne Christi viuificari in Cœna, Patres dicunt.

(C) VETERES) Quod Patrum sententiæ ostendunt scz. collectæ & editæ ab ipso Philippo, eodem post exhibitam Augustæ Principum Cōfessionē, anno 1530. ad declarandam aut testificandam Cōfessionis eius sententiam, iterumq; edendæ. Vide q; h̄c etiam in Patres iniurius sit, & sibi contrarius.

TEX-

## T E X T V S.

**S**ed hanc veram & simplicem doctrinam de fructu, non minant quidam (D) cothurnos: Et postulant dici, an sit corpus (E) in pane, aut specieb. panis: Quasi vero Sacramentum propter (F) panem, & illam Papisticam adorationem institutum sit. Postea fingunt quomodo includant(G) pani: Alij conuersationem, alij transsubstantiationem, alij(H) ubiquitatem excogitarunt. Hæc(I) portentosa omnia ignota sunt eruditæ vetustati.

## S C H O L I A.

(D) **COTHVRNOS**) Vere cothurnos, q[uod] vtriq[ue] parti in hac parte cōgruunt, de præsentia personæ Christi, Dei & hominis, efficacis per verbum, Sacra[m]enta & fidem: Peiores cothurnis, q[uod] planè comparati sunt ad decipiendum, in altera parte, de præsentia ipsius etiam veri corporis efficacis in Cœna, siue per Cœnam.

(E) **CORPVIS IN PANE**) **Quin** panem ipsum esse corpus Christi, secundum verba Christi: Hoc est corpus meum: Species panis nihil ad nos.

(F) **PROPTER PANEM**) Iterum dico: Non propter panem, sed cū pane, in pane, propter hominem.

(G) **QVOMODO INCLVDANT PANI**) Faceant hic qui nugas trætant: Ab alijs absint petulantes calumniæ. Nos simplici fide verbis Christi acquirem[us]: Et vt rumpantur Cingiani, corpus Christi non solum cum pane, in pane, sub pane, sed panem ipsum esse Christi corpus, prædicatione identica, (salua vtriusq[ue] substantia) cum Christo & Paulo planè adserimus. Mo-

dum ut in alijs similib. fidei prædicationib. nec inuestigamus, nec inuestigandum esse dicimus: Ne Capernatarum Cinglianorum, & Hæreticorum similes fiamus, ridentium cum Cinglianis: Quomodo hic potest suam nobis carnem manducandam dare? Quomodo etiam potest Pater, Filius & Spiritus S. unus esse Deus? Deus & homo unus esse Christus? &c.

(H) VBIQVITATEM Aliud est corpus Christi vbiq; esse in Coena, aliud est extra Cœnam esse vbiq;.

(I) PORTENTOSA) Bona verba, Ir heiligen leute/seid dem armen Schächer Christo gnedig/ nec portenta facite, quæ vos ex verbis eius hinc planè intelligitis.

### T E X T V S.

**N**Egat Heshusius se adsentiri (K) Origeni, qui nominat panē & vinū σύμεσα τὸ σῶματος ἡ αἱματος. Reijcit contumeliose Clementem Alexandrinum: Pronunciabit eodem modo de Augustino, Ambrosio, Prospero, Dionysio, Tertulliano, Beda, Basilio, Nazianzeno, qui nominat ἀντίτυπον σῶμα: Theodoreto, qui ait de pane φύσιν θ μεταβέλλων.

### S C H O L I A.

(K) ORIGENI.) Adducit phalangem antiquis. & eruditissimorum Patrum, quos pro se citat, & verba quædam annotat. Quid si autem illis, uti Paulo

Paulo, faciat? Tam profecto suam sententiam his  
ipsis verbis Origenis, Nazianzeni, Theodoreti non pro-  
bauerit, q; Pauli verbis nunq; probabit, aduersus Christi  
verba. Nam quæ consequentia est ex Pauli verbis?

Panis est communicatio corporis Christi.

Ergo corpus Christi non adest.

Eadem propemodum & hæc ex Origene est.

Panis & Vinum sunt symbola corporis & sanguini-  
nis Christi.

Ergo corpus Christi non adest.

Nos non absimili prorsus forma , Sacramentum  
corporis & sanguinis Christi, cum vera eius præsentia,  
visitate adhuc dicimus: Et ἀντίτυπον σώμα, corpus ex-  
emplare, eādem nobiscum sententia ex Nazianzeno dici  
potest, tametsi non est, quòd plures loquendi improprie-  
tates admittamus,

Panis naturam non mutari, nihil nobis in Theodo-  
reto pugnat, mirabilem vniōnem corporis & panis,  
salua vtriusq; substantia, aduersus Papistas & Tropi-  
stas magis confirmat.

Longe igitur alia tum testimonia , tum ar-  
gumenta requiruntur , vt ipsos hosce Patres nobis  
adhuc Cinglianos faciat , et si sua quidam

incommode dicta habent : Quæ reiçere Heshusio  
hic piaculum est, Philippo non est, Christiverba reiçere.  
Nec tanta est Philippo authoritas horum ipsorum Pa-  
trum, ut ipse eis assentiatur in omnib. Quod ipsi ergo  
licitum hic est, alijs ex eadem causa, flagitium esse non  
potest.

Sed vti dictum est, nondum sinimus hos ipsos Pa-  
tres nobis facere Cinglianos : Berengarium ipsis Patrem  
damus. Hos nostros esse volumus (et si fidem in ipsis non  
ponimus) q; diu non euicerint Cingiani, evidentiorib.  
testimonijs & argumentis, esse suos. Nos ex ipsis, illis,  
alijsq; vetustissimis, Iustino, Ignatio, Ireneo, Cypriano  
& eorum similib., testimonia in promptu habemus, no-  
biscū congruentia, de substantia et efficacia huius Sacra-  
menti, quæ nō est huius loci, aut instituti iam enumerare.

Atqui congruentiæ huic & sententiæ, Augustanæ  
etiam Confessionis propriæ, testimonium reddit prius  
nominatæ Patrum Sententiæ, collectæ à Philippo & edi-  
tæ, & scripta per ipsum Apologia Augustanæ Cofessio-  
nis : In qua leguntur articulo decimo ipsa hæc verba.

Comperimus non tantum Rom. Ecclesiam affir-  
mare **CORPORALEM PRAESENTIAM** Christi,  
sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Eccle-  
siam, ut testatur Canon Missæ apud Græcos. Et addi-  
tur testimonium ex Cyrillo :

Non negamus recta nos fide charitateq; sincera,  
Christo SPIRITUALITER coniungi. Sed nullam no-  
bis coiunctionis rationem secundū **CARNEM** cum il-  
lo esse, id profecto pernegamus, & a diuinis scripturis  
omnino

omnino alienum dicimus. Et mox: Omnes uno pane  
participamus: An fortasse putas ignotam nobis mysti-  
cae benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis sit,  
nonne CORPORALITER quoq; facit, communica-  
tione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Item  
considerandum inde est, NON HABITVDINE so-  
lum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis  
esse, verum etiam PARTICIPATIONE NATV-  
RALI &c. Hæc Cyrillus.

Quid clarius etiam Vulgarij illo, aduersus ipsos  
Cinglianos, vel dici, vel cogitari potest? οὐ γάρ ἐιπε,  
τόπος εσι σύμβολον: ὅλλα τόπος μᾶς τὸ σῶμα, διεκτίκως,  
ἵνα μὲν νομίσκτις πάπον ἔτιγα: τὸ φαινόμενα. Hoc est:  
Non dixit Christus, hoc est symbolum, sed hoc est cor-  
pus meum, demonstratiue, ne quis putaret, ea quæ cer-  
nuntur, typum esse.

Quid item clarius Iustini illo, & Irenæi, qui tempo-  
rib. Apostolorū proximi fuerunt? Iustinus Apolog. 2.  
Non ut vulgarem panem, & vulgare poculum hæc su-  
mimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus  
Iesus Christus, seruator noster, carnem et sanguinem pro  
salute nostra habuit: Sic etiam per verbum precationis  
& gratiarum actionis sacram ab ipso alimoniam, quæ  
mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incar-  
nati IESV CARNEM & sanguinem esse didicimus.

Et Irenæus lib. 5. Quando & mixtus calix, & san-  
ctus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia COR-  
PORIS & sanguinis Christi, ex quib. augetur & consi-  
stit CARNIS NOSTRAE substantia.

C

Quod

Quod de mutatione, panis scz & vini Iustinus dicit, non dicit vt Papistæ, de transubstantiatione: Nec de ventris alimonia dicitur, vt Cingliani calumniantur & blasphemant, quod vterq; dicit de nutritione carnis nostræ, per corpus & sanguinem Christi in Eucharistia: Sed ita dicitur, vt discernatur hæc esca & poculum hoc ab alijs vñitatis escis & poculis: Nutritio hæc, qua vivificatur, augmentatur non tantum anima nostra, sed etiam corpus, ad vitam spiritualem & æternam, discernatur à nutritione Physica, quæ est ad vitam hanc corporalem & animalem.

Itaq; Cingliani, vt non recte loquuntur ac sentiunt de substantia Coenæ, ita nec satis de efficacia loqui possunt, vt Patres ex verbis Christi & Apostoli egregie locuti sunt

Nec finas tibi, Christiane lector, citatis nominib. & dictis. Patrum hinc statim imponi: Et ut illis, ita ipsi nunc etiam Augustanæ Confessioni, contra suam ipsorum conscientiam, communem hominum intelligētiā, mirabili impudentia, Cinglianam sententiam à quibusdam affingi, aut parum cauto etiam ingeri.

#### T E X T V S.

**Q**VAE est igitur tanta authoritas (L) Heshusij, vt ipsi potius assentiamur, q; tot probatis veterib. Scriptorib. qui perspicue testantur tunc Ecclesiam non habuisse Pontificium dogma, (M) & adorationem: Quæ si noua (N) sunt in Ecclesia cogitandum est an recentiorib. licuerit nouum dogma inuehere in Ecclesiam. Nec ego ignoro, multa citari notha (O) veterum titulis, de quib: eruditi iudicent. Autho-

## S C H O L I A.

(L) AVTHORITAS HESHVSII.) Non Heshusij, sed Christi ea est authoritas, vt ipsi potius, q; Patrib. & Philippo assentiamur. An Patres dissentient, adhuc sub iudice lis est. Philippus se fatetur disséntire, reiectis Christi verbis & interpretatione: Necessario ergo ab ipso rursus nos dissentimus.

(M) PONTIFICIVM DOGMA) Nouit ipse nos abhorrere animis & sententijs à Papisticis idolomanijs in hoc Sacramēto, & tamen audet passim impingere, easdem ipsas confirmari à nobis. Nam hæc ei firmā quædam ratiocinatio videtur, ad nos infectandos, quām mihi aliquando, exuli ab hac mea Ecclesia in mensa obijciebat, & tribuebat Pflugio: Ad quid esset in manib. aiebat (ex sententia Pflugij, vel potius sua) nisi vt offeratur, adoretur &c? Cui cum ego simplici animo ex verbis Christi responderem, nihil etiam suspicans mali: Adhoc esse in manib. vt edatur, & bibatur, subiratus ille vicissim respondebat: Non sic refutantur Papistæ: Transubstantiatio & consubstantiatio (hac nostros notabat scz) Ist eine wie die ander. Testor Deum, q; vera hæc narro.

(N) NOVA) Transubstantiationē, adorationem Papisticam, tropologizationem Cinglianam, vtramq; ad suos siue veteres, siue nouitios reijcimus authores: Unionis Sacramentalis, seruata vtriusq;, panis & corporis Christi substantia & p̄sentia, ad commendandam eius antiquitatem, vltiori principio, q; Christi institutione, & declaratione Apostoli, alio non egemus.

C. 2. NOTA.

(O) **NOTHA**) Non nothis & adulterinis, sed genuinis & veris Christi & Pauli testimonij necessè habenus rem iudicare, quib. nititur in hac causa, tota nostra fides. Habent postea suum etiam locum probatæ antiquitatis indubitata testimonia, quæ minime aspernamur.

### T E X T V S.

**N**ec vero iam institui longam disputationem: Nec cum (P) contentiosis, qui idola & (Q) parricidia stabilunt, disputare volo, quorum sauviciam (R) & ego experior: Sed tantum pro meo iudicio significare volui, quid in illo loco pro infirmitate teneræ Ecclesiae faciendum esse existimem: Ac maneo (R) in hac sententia, contentiones vtrinq; (T) prohibendas esse, & forma (V) verborum vna & simili vtendum esse. Si quib. hæc non (X) placent, nec volunt ad (Y) communionem accedere, his permittatur vt suo iudicio vtantur, modo non faciant distractiones (Z) in populo. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dextram æterni Patris, & colligentem æternam Ecclesiam voce Euangeli, vt nos doceat, (A) gubernet & protegat. Opto etiam vt aliquando in pia Synodo de omnib. controversijs horum temporum deliberetur. (B)

Ex autographo. (C)

SCHO-

## S C H O L I A.

(P) **NEC CVM CONTENTIOSIS**) Sed cum pedaneis, qui pedib. in sententiam cant: Dictorum causas & fundamenta non quærant, aut subito cedant, eo solo contenti, q Philippus dicit, qui vt alter Papa, errare non possit: Tales h̄c vult disputatores Philippus.

(Q) **QVI IDOLA ET PARRICIDIA STABILIUNT**) Obserua, Christum h̄c esse, qui idola & parricidia stabiliat: Ipse .n. ille est, qui de pane sacræ suæ Coenæ ait: **HOC EST CORPVS MEVM**: Vultq; hoc ita doce-ri, credi & seruari in Ecclesia, donec venerit. Quo vultu credis, aspiciet Philippū in altero aduentu suo, nisi egerit poenitentiam Philippus? Atqui contrā nos dicimus, Philippum stabilire ipsum idola & parricidia. Idolum stabilit sua doctrina, qua humanæ rationis somnia, sine verbo, & contra Christi verba h̄c vult adorari. Parricidium stabilit violentis & crudelib. suis consilijs, quibus ejici pios doctores, defensores veritatis iubet, ijsq; ma-trem ecclesiam interficit.

(R) **SAEVICIAM**) AEgre fert raptor rapinam eripi è manib., queritur iniustiam & saeviciam.

(S) **MANEO IN SENTENTIA**) Audis ad-huc stabiliri idola & parricidia.

(T) **CONTENTIONES ESSE PROHIBENDAS**) Iuxta dicta. Posui inimicitias: Clama, ne cesses: Argue, increpa, opportune, importune: Spiritus S. arguet mundum. Et q Prophetæ, Christus, Apostoli in te-

neris Ecclesijs non contenderunt scz, cum Pseudopto-  
phetis & Pseudoapostolis suis, sed ad omnia connuerūt.  
Hæc via, hæc ratio nunc, conseruandi & propagandi v-  
eritatem & ecclesiam.

(V) FORMA VERBORVM VNA) Philip-  
pi scz in Examine Megalburgen. Iuxta illud Apostoli:  
*Υποτυπωσιν έχειν αινόντων λόγων ὡν πορεία μεταμεταστάσης*  
Retine formam sanorum verborum, quæ audisti ex me:  
Vel ipsam Pauli formam retineamus, explosa Christi, vt  
Iocum habeat Cingliana interpretatio.

(X) QVIB. HAEC NON PLACENT) Ec-  
quid placerent, quæ Christo non placent? quæ Christū  
contumelia afficiunt, ex sua ipsum Ecclesia exturbant.

(Y) AD COMMVNIONEM ACCEDERE)  
Nolumus nobis esse communionem cum Cinglianis,  
q;uis ipsi nobiscum esse vellent, modo si taceremus: Sed  
neutrum possumus, propter mandatū Dei: Vt de com-  
munione: Ne ducatis iugum cum incredulis: Quod .n.  
consortium iustitiae cum iniustitia? Quæ communio luci  
cum tenebris? Et de silentio: Clama, necesses, vt superius.  
Psalmus etiam ait: Credidi, propter quod locutus sum: Ego autem humiliatus sum nimis. Cæ-  
terum illud humiliari, multos iam terret, vt ad omnia sile-  
ant, scientes & volentes opprimi veritatem (quantum in  
ipsis est) ociosi spectatores finant, qui clamorib. templa,  
libris orbem alias etiam complent, Deo rationem deser-  
tionis huius reddituri,

NON

(Z) NON FACIANT DISTRACTIONES)

Audi de hoc Christum dicentem: Putatis, quia pacem  
veni mittere in terrā? Non pacem, sed separationem etc;  
Et ignem veni accendere; Quām velim ut ardeat.

(A) VT DOCEAT) Docet nos verbo: Quid  
est ergo petere doceri, & nolle obtemperare?

(B) DELIBERETVR IN PIA SYNODO)

Idem nos optauimus semper, cōcedimus & optamus pa-  
res etiam esse vtrinq; cōditiones, ne detrimētum patiatur  
veritas. Quam ipsi nobis dare vellent Synodum Cingli-  
ani & Adiaphoristæ, vereor ne Papisticæ multum abs-  
tulisi foret.

(C) EX AVTOGRAPHO) Ne dubites de fide:  
Quam si quis in dubium vocet, primi authores huius edi-  
tionis pro authoritate adstruent.

C O N C L V S I O.

**I**N Vnc credule, quisquis es, crede & excusa Philippū  
non esse Caluinianum: Sorex suo se indicio prodi-  
dit: Audiuiimus testimonij ex ore ipsius, quid amplius  
desyderamus? Ut nō sit necesse Caluino iam credere, aut  
alijs quibuscunq; credamus ipsi.

Etsi vero & Caluinus scripsit superioribus annis,  
Philippum à se totis amplius septemdecim annis nusq; in  
hac causa dissensisse, ac planè cōsensisse aduersus Lutherum,  
& ipse iam hīc suo testimonio, vt prius silentio, plus  
satis confirmat, adeo sunt tamen inani prosopopopia

excoecati multi, ut vixdum etiam credituri sint, videntes  
videre adhuc fortè noluerint, ut Christus ex Propheta  
ait, ac triste hoc talib. iudicium denunciat: Ne conuer-  
tantur, & sanem eos.

Tu vero lector studiose veritatis & Augustanæ  
Confessionis, caue tibi in timore Dei & inuocatione, ab  
huiuscemodi deprauationib. & occultis insidijs, quib. nec  
aperte, nec candide à multis iam annis coepta est deprauari,  
& in alienum sensum detorqueri doctrina Confes-  
sionis nostræ, vt hīc de Coena, ita alibi in alijs, de quibus  
alibi monitus es. Et ex uno hoc aestima reliqua illa  
nostra certamina, quæ pro veritate Augustanæ Confes-  
sionis audisti à nobis fuisse suscepta, aduersus etiam inter-  
nos illos hostes ac deprauatores: In quib. vniuersis ac  
singulis certaminib., vt prius Lutherum habuimus Pro-  
tagonistam ex verbo Dei, ita sumus nos tanto nunc qui-  
dem & tutius, & alacrius eiusdem quasi d'eturqaywisi.

Nec dubito ego quidē, quin posita Prosopoliſia,  
positis aduersariorum donis, blanditijsq; humanæ ratio-  
nis, quæ iudicium impediunt, si ad fontes respicietur, ad  
legem & ad testimonium, ut Propheta loquitur, iudica-  
turi sint tandem multi pro nobis, vieti veritate verbi Dei,  
ac planè intellecturi, necessaria fuisse & esse nostra hæc  
certamina: Quæ & multo nobis labore, molestia, iniuria,  
multis deniq; periculis constant, nec nulla prorsus  
utilitate tua, Christiane lector, ut inimicus esse non que-  
as propterea, aut certe debeas. Si quis autem inimicus  
est, nos sumus iam adfueti talib. inimicitijs, & pro causa  
Dei libenter ferimus, parati & alia ferre, si Dominus vo-  
luerit. Atq; ipsi viderint inimici nostri, quid oderint, quid  
& quem perfecuti in nobis fuerint. Ad

Ad Philippum quod attinet, nemo existimat adeo  
nos esse vel iniustos, vel iniquos, ut odio viri, aut alijs  
quibuscumq; de causis, salutares eius operas multas veli-  
mus esse oppressas, aut spretas in Ecclesia, quas & magni-  
facimus ipsi, & suo loco haberi ab omnib. cupimus, per-  
petuoq; seruire ad docendas ecclesias, & refutandos ad-  
uersarios: Tantum vero næuos indicamus, quoꝝ aliquā-  
to iam tempore ab alijs contraxit, nescio quibus, verum  
iubemus à falso discernere, & libros quos edidit post mor-  
tem Lutheri, præsertim cum iudicio & delectu legere,  
priorum in quibusdam dissimiles.

Sicubi etiam vehementiores fuimus, hoc vnum spe-  
ctauimus, vt cum ipſi Philippo, tum alijs complurib. ex  
ipſo magis q; ex Deo pendentib., renitentibus insuper  
Deo & verbo, magis q; humanæ infirmitatis, aut alterius  
causæ prætextu posſit excusari, iustitiam hanc Dei oſte-  
nderemus: Non esse apud eum vllijs personæ respectum,  
ad docendam, regēdam, seruandam suam ecclesiam, quin  
veritati verbi omnia esse postponenda, iuxta illud Apo-  
ſtoli: Si ego, aut angelus de cœlo prædicauerit aliud, q;  
nos prædicauimus, & vos accepistis, anathema fit: Et  
Christus dicit, non debere apicem perire suorum verbo-  
rum, potiusq; transiturum cœlum & terram.

Qua ex causa nec mortuo iam ita parcere quidem  
omnino possumus Philippo, ut veritatis defensionem  
aduersus ipsum intermittamus, cogentib. sic etiam pa-  
trocinatoribus eius & asseclis, cum oppressione veritatis:  
Quam ita tamē etiam moderabimur ipsam defensionem,  
vt boni intelligent, de reb. nobis esse negocium, non de  
personis.

Vt autem plusculum aliquid mali ex causa hac Cœ-  
næ redundauerit in Ecclesiam, quod & supra ominatur

D Philip.

Philip., & ego vereor, viderit ipse Phil. eiusq; adiuncti, qui  
damnatum, & ex nostris Ecclesijs dudum profligatum  
errorem Berengarij & Cinglij, in summa inuehunt, &  
apud alios confirmant. Nos vt veritatis patrocinium  
abijcere properea nec possumus, nec debemus, non ali-  
ter tamen q; nos decet, illud vnq; agemus, attestando ve-  
ritatem armatura verbi Dei, proq; ea patiendo, quæ Do-  
minus voluerit, & vt gratiam dederit. Interea Deum  
Patré Domini nostri Iesu Christi toto pectore oramus,  
ne quod merentur nostra peccata, accensam verbi sui lu-  
cem finat inter nos penitus extingui, cum in hoc, tum in  
alijs doctrinæ articulis : Et vt plurimi rursus discedant,  
vt Tribus Israel olim discedebat, & solus Iuda vix perse-  
uerebat, ipse sibi pro immensa bonitate reliquias inter nos  
etiam seruet, nosq; regat, & defendat : Quod vnâ nobis-  
cum ardentib. votis pij omnes contendant : Quoniam  
dies mali sunt.

NIC. GALLVS.

LVTHE-

# LVTHERI QVAE:

DAM DICTA, AD COMMONEFA-  
ciendum lectorem & confirmandum iudicium, aduersus  
consilium & sententiam Philippi.

## GEN. 6.

DIXIT DOMINVS: NON IVDI-  
CABIT SPIRITVS MEVS IN HOMINE  
PERPETVO: QVIA CARO EST.

Lutherus.

Vmma hæc pœna est, quam hoc loco Dominus per  
Sos Sanctorum Patriarcharum minatur, q̄ non sit iu-  
dicaturus amplius per Spiritū suum homines, hoc est,  
q̄ cum frustra sit omnis doctrina, nolit posthac verbum  
suum hominib. dare.

Hanc pœnam etiam nostra tempora Germaniæ ad-  
ducent. Videmus, n̄ q̄ festinet Satan, q̄ sit inquietus &  
omnia tentet, quib. verbum Dei potest impedire. Quan-  
tum Sectarum excitauit nobis viuentib., & omni studio  
in id incumbentib. vt puritas doctrinæ retineatur? Quid  
futurum est nobis mortuis? Profecto tota agmina Sacra-  
mentariorum, Anabaptistarum, Antinomorum, Serue-  
tianorum, Campanistarum, & aliorum H̄ereticorum  
producet, qui nūc vieti puritate verbi, & assiduitate pio-  
rum Doctornm, latent, in omnes occasiones stabilien-  
dorum suorum dogmatum intenti. Ergo qui verbum  
purum habent, discant id amplecti, & pro eo agere Do-  
mino gratias, & querant Dominum, dum potest inueni-  
ri &c. Et paulo p̄st.

Vocabulū hoc, Iudicare, propriè pertinet ad mini-  
sterium,

steriū, & id quodāmodo pingit. OMNIS. N. PRAEDICATOR SEV VERBI MINISTER, EST VIR  
rixarū & iudicij, ac cogitur ex officio reprehendere, quicquid vitiosum est, nō habita ratione vel personæ, vel officij in auditorib. Hoc cum Ieremias sedulo facit, nō solum odium, sed etiam pericula grauissima sustinet. Mouetur igitur ipse quoq; ad impatientiam, vt optet se nunq; esse natum.

#### ANNOTATIO.

**H**IS pulchre congruit iudicium Philippi scz, iubentis rixantes pro cōleruatione veritatis pios Doctores, aut mutos esse canes, aut exules à suis Ecclesiis.

Ac sentiunt quidem homines carnales, politici & hypocritæ, delicati nostri sancti et martyres, vt vulgo loquimur, eum esse optimum statum, Euangeliū habere, & saluos fieri, vt nemo rixetur, nemo iudicet, nemo arguat. Sed ea est ipsiss. pœna, quam hoc loco minatur Dominus, quando desinit arguere, & Philippus hic vehementer suadet, iubet ac docet accersere. Nos autem meminerimus regulam, ex hoc loco Genesis, q; qui ministerium verbi Dei volunt habere sine iudicio, sine rixis, sine contentione, aut nullum prorsus habebunt, aut insyncrum, aut infructuosum.

#### LUTHERVS VLTIMA CONFESSIO- ne sua contra Sacramentarios.

**M**arpurgi in Colloquio cedebant tantum, et largiebantur, nō mera esse symbola panis & vini in Cœna, quod summa contentione ad id usq; tempus contenderant, sed corpus & sanguinem Christi etiam ipsum adesse, SPIRITALITER VCZ, NON ITEM CORPORALITER. Ac ne hoc quidem eos sublenabat quicq;

quicq; Nam spiritualis manducatio tantum est creden-  
tium, iustificatorū sanctificatorum: Paulus vero vtrosq;  
dicit participare corpori & sanguini Christi, dignos iuxta  
ac indignos. I. Cor. II.

### ANNOTATIO.

Memorabilis sentētia, digna obseruatione, propter  
recentiores iam Cinglianos, qui rudiorib. imponunt hac  
ambiguitate: Corpus & sanguinem Christi vere adesse  
in Coena, nequaq; abesse. Si species interpretationem,  
idem ipsis est, quod hoc loco dicitur, adesse spiritualiter,  
non etiam corporaliter, secundum virtutem, non secun-  
dum substantiam. Atq; eadem hæc ipsis. Philippi sen-  
tentia est in toto hoc scripto.

Sunt qui Acta huius Colloquiū pro transactione  
citant, & confensione, q; Luthero conuenerit cum Cin-  
glianis, ad eam Confessionem ipsorum. Hæc q; sit va-  
nissima gloriatio, ex ipsiusmet verbis hīc clarē intelligis.

### EX EADEM CONFESSiONE aliquanto pōst.

Eodem numero omnes censeo, quicunq; sunt, qui  
non credunt, Dominicum Panem in sacra Coena, non  
essē verum & naturale eius corpus, quod Iudas atq; im-  
pius perinde accipiat, ac Pe-  
rus illud accipit, & accipit  
quisq; pius. Hec qui non credit, missum me faciat, nec  
cōfessionem, amicitiam, aut cōmercia inter nos speret.

### ANNOTATIO.

Prodest hoc dictum, perspicue & grauiter vrgens  
Christi verba & interpretationem, de vera veri corporis

D 3                    eius

ei⁹ præsentia, contra Philippum. Quod Philippus ergo  
Bremenses & Heshusium subsannat hoc loco, ac reijcit,  
in primis subsannat ac reijcit Christum, & nostro iam  
tempore Lutherum.

Prodest deinde ipsum hoc dictum, ad erudiendos &  
monendos pios, quid faciendū sit de societate cum Cing-  
lianis, præsertim obstinatis & pertinacib.

### RVRSVS IN EADEM CONFES- sione, sub initium.

PRæter reliquos (memoratos scz nouos Spiritus) fin-  
gularis quidē oberrabat Sanctus Spiritus (Diabolus  
.n. sanctus est, & magnus Spiritus) Ille aiebat: non esse  
hoc loco articulum fidei, nec contendendum esse propte-  
rea, non referre, quid quis credat. Spiritus hic sanctus  
nuper mihi videtur essa natus Patre Spiritu Sancto ipsius  
Stenckfeldij. Pulchre .n. seruat Regulam Stenckfeldij,  
(paulo ante à Luthero recitatam: Remouenda è conspe-  
ctu essa verba Christi, q̄ sensum spiritualem impedian-  
t Atq; ipsa Christi verba non solum eripit è conspectu, sed  
& retrò abiicit, cumq; eis fidē simul & reliqua, cassæ nu-  
cis instar, nec aliud ex eis facit.

### ANNOTATIO.

Hoc dictum recenso propterea, vt intelligas lector,  
fuisse etiam prius qui censuerint & suaserint, quod Phi-  
lippus h̄c censem, verba Christi ex oculis esse remouen-  
da, aut sepienda.

Recenso etiam vt cōmonefaciam de incertitudine  
doctrinæ Sacramentariorū, q; ipsi nunq; cōuenienter int̄  
se ipsi, de vna aliqua certa sententia in hoc articulo, vt  
multas eorum opiniones & diuersas, ibidē ordine recen-  
s̄t Lutherus. Item

## ITEM SVB FINEM CONFESSIONIS.

**S**imili ratione Sectarios non iuuabit, q̄ multa garriunt de spirituali mādificatione corporis & sanguinis Christi in Cœna, de charitate & vnitate Christianorum inter ipsos: Quæ aliud nihil sunt, q̄ folia fici, quib. Adam & Heua peccatum & turpitudinem suam celare studebant, & ornare. Nec magis iuuabunt, multi & magni labores ipsorum, quos docendo, scribendo insupererunt, morum grauitas, castimonia vitæ. Quæ gentilib. adhuc communia sunt. Adhæc frustra est etiam, q̄ Deum Patrem, filium & Spiritum Sanctum, & Christum salutarem credunt, frustra, inquam, sunt omnia, cum omnibus insuper alijs articulis, quātumuis recte, citra errorem eos assument, vt loquitur Psalmus, per os suum impium & blasphemum: Dum vnum hunc articulum negant et impugnant, quo Christus de pane Eucharistiae inquit: ACCIPITE, EDITE, HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS TRADITVR.

## ANNOTATIO.

Hæc ipsa iam est recentium Cinglianorum perpetua oratio, cōmendare vsum huius Sacramenti, communicationem spiritualem cum corpore Christi, vnitatem Ecclesiæ & concordiam: Discipulorum vna oratio est, & gloriatio, narrare dona magistrorum suorum, merita in Ecclesiam, doctrinæ synceritatem: De quib. hic habes, quid Lutherus respondeat.

F I N I S.

A 1676332

OCN 29133076

Luc. 24.

Mane nobiscum Domine, quoniam aduerserat,  
& inclinata est dies.



RATISPO<sup>N</sup>AE BONA FIDE RECV.  
debat Heinricus Geisler Anno, 1560.  
Mense Novembri.